



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. V. Lex Satura. ad can. 7. dist. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

de Script. Eccles. c. 19. & 117. A. Augustinum præfatione in antiquas collectiones Decretalium, & in emendat. Gratiani lib. 1. Dial. 10. Baronium. tom. 7. ad Annum Christi 527.

CAP. V.

Lex Satura. ad can. 7. dist. 2.

S U M M A R I A.

1. Lex Satura.

3. Glossæ Philoxeni.

2. Lanx Satura.

4. Satura non constituit speciem legis.

Lex Satura.

Lanx Satura.

Glossæ Philoxeni.

Satura non constituit speciem legis.

C Anone VII. distinct. 2. Gratianus Magister ex Isidoro *Saturam legem* facit, quæ de pluribus simul rebus loquatur. Ita Festus, Diomedes, Isidorus. At nota quidem lanx satura, lex satura non item. De illâ Varro in quæstionibus Plautinis: *Satura est, ubi uva passa, & polenta, & nuclei pini ex mulsò consparso, alii addunt & de malo Punico grano.* Quâ significatione vocem esse Laconicam ex Hesychio & Varino bene ostendit, vir quidam eruditus. Sabini erant Laconum coloni, à Sabinis ergo hanc vocem accepere Romani. De lege Saturâ memini equidem Glossarum Philoxeni: *Saturam, νόμος πολλὰ περιέχων*, nempe cum uno rogatu plura diversa ferrentur. Nec latet, quod ex Tito Annio Lusco in oratione adversus T. Grachum Festus citat in *Satura: Imperium, quod plebes per saturam dedem, id abrogatum est.* Ubi Imperium per saturam collatum dicitur, quod unâ rogatione cum variis capitibus confusè propositum notatur. Sed & quod Lælius ait, apud eundem Festum: *Dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur*, idem valet, atque collectim, raptim, tumultuariè. Inde tamen Grammatici legem, quæ satura vocetur Romanis, nunquam conficiunt. Falsum itaque est, saturam speciem legis constituere. Et decepit itaque Isidorus Gratianum. Quid enim aliud sibi vult Grachi illud? Imperium per saturam dare, quid Lælii, sententiam per saturam exquirere? quam confusè, commixtim: Minimè per legem saturam. Facit Justinianus præfatione ad Pandectas: *Hoc opus tradebatur non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim & qua-*

quasi per saturam, collectum & utile cum inutili mistum. confer ob-
servationes And. Schotti lib. 1. c. 2.

CAP. VI.

Ad can. XI. dist. 16.

S U M M A R I A.

- | | |
|---|--------------------------------|
| 1. Annotatio quid? | 8. Eustathius Sebastenus. |
| 2. Παροσημείωσις. | 9. Sardica, quæ & Triadiza. |
| 3. Ancyra. | 10. Sardis. |
| 4. Neo-Cæsarea. | 11. Januarius Episc. Benevent. |
| 5. Non semper conciliorum præ-
sides canones concipiebant. | 12. Concilii hujus auctoritas. |
| 6. Gangra. | 13. Bini emblemata. |
| 7. Osius Cordubensis. | 14. Sensus Gratiani. |

Continet diversas annotationes synodorum particularium. Annotatio glossis Παροσημείωσις. Est brevis & compendiosa scriptura pro memoriâ facta. Ita capitur in l. 82. §. servo. 2. ff. de Leg. 2. Sic usurpatur privata scriptura, qua debitorem aliquem nobis adscribimus. l. 7. C. de probat. l. ult. C. d. conv. fisco. debit. Hoc loco significatur compendiosa synopsis synodorum. Sic utitur Julianus Antecessor Novell. 248. & Justinianus Nov. 82, c. 5. Et Cresconius in Breviario, ubi enumeratis canonibus sanctorum Patrum, addit: Explicit annotatio canonum sanctorum Patrum. Dicebatur Παροσημείωσις, cum acta non essent plenaria, neque omnes allegationes partium scriptis mandarentur, sed summa capita paucis sub uno conspectu ponerentur. Vide Summum Cujacium ad Nov. 82. Et Hieronym. in Esaiam c. 4. σημειώσεις vocat excerpta & annotata. Prima ergo annotatio est Ancyranæ Synodi. Ancyra Metropolis Gallatiæ. Decem & octo episcopi è diocæsiibus Orientis Asiaticæ & Ponticæ XXV. canones ediderunt. Quorum observatio ad alias quam tres illas diocæses non poterat extendi. Secunda Neo-Cæsariensis. Neo Cæsarea est Metropolis Ponti Polemoniæ, ut est in Notitiâ Leonis. Auctor eanorum in ea expositorum dicitur Gratiano Vitalis, Episcopus Salaminus. Sed perperam. Nullus enim talis fuit Episcopus. In

Annotatio
quid?

Παροσημείωσις.

Ancyra.

Neo-Cæsarea.